

B.II.264.39.

x 20545 u

Z d
2784

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS

Ad Funus

Magnifica autoritate, Officiorum amplitudine, Consiliis & Respon-
dendi de Jure prudentia, Civiliq, usu longè specta-
tissimi

DN. JOHANNIS PHILIPPI,

JCTi Incomparabilis,

Com. Palatini Cæfarei, Scabinatus Electoralis &
Curiæ Provincialis in Inferiori Lusatia Assessoris, Collegii Bea-
tæ Virginis Collegiati, Polonicæ Nationis & Collegii jam dicti
Senioris, & Reipublicæ Lipsiensis Pro-Con-
sulæ,

VIRI de publico Egregio meritisimi,

horâ III, stipatissimo Comitatu profe-
qvendum,

CIVES ACADEMICOS ORDINUM
ac Dignitatum Omnia
seriò invitati.



LIPSIAE,
Typis CHRISTOPHORI UHMANNI,
M. DC. LXXIV.



Lars Philippi I.C.



Procuratorum Lucerna insignitus Ivo, idemque, quia Sanctorum classibus importatus fuerat, Deus Jure-Consultorum Tutelaris electus. Floruit is natione Britannus sub Carolo IV. tum ob doctrinam & singularem eloquentiam, tum ob miram pietatem longè celeberrimus. Fuit enim, teste Crantzio Metropol. lib. 9. c. 34. angelicā continentiā praeditus, Romaeque vitam suam ab esu carnium servavit intactam, corpus cilicio operuit, jejuniis, vigiliis ac orationibus etiam Monachos longo post se intervallo reliquit, nudam pro cubili terram luteam, Saxum pro cervicali, & Bibliorum codicem pro pileo usurpavit, suumque, quod habuerat, patrimonium amplissimum, in pauperum, orphanorumque ac viduarum causas defendendas insumpsit. Atque hinc non Procuratorum tantum Lucerna, sed pauperum quoque Advocatus cognominatus; hinc factum quoque, ut cum Theologi Thomam ac Hieronymum, Medici Cosinam ac Damianum, & Philosophi Catharinam patronam sibi deputassent, Jcti Ieronis, quippe inter sanctos relati, tutelæ sese commendarint, eiq; non minus, quam Sanctis aliis, altare in templis aliquod exstruxerint; quemadmodum & Fridericum III. Saxonie Electorem severissime præcepisse accepimus, ut Facultas Juridica in Academia Wittebergen-si Ieronis Festum, quotannis IX. die Maii in templo perageret, Decanusque Rectorem, cum reliquis Professoribus ad missam super altari Ieronis celebrandam solenniter invitaret. Posteaquam verò spississima illa inveterata Idolatriæ caligo ex regionibus hisce per Megalandrum Lutherum dispulsa est, etiam Missæ illæ Ieronis una cum religioso cæterorum Sanctorum cultu in desitudinem sunt redactæ, sic tamen, ut suis tum Juri Pontificio, tum Jctis ipsis honos integer ac fatus tectus conservaretur. Tametsi enim Lutherus Pontificii Juris libros Wittebergæ extræ portam Eistræ combusserat, haut quicquam tamen id factum in contumeliam aut Jure-Consultorum, aut legum utilissimarum, quas Pontificium Jus completitur, quasque in Academiis jussu Principum hodieque explanant Doctores, sed in ignominiam Dei illius semihominis, & Petri, si Divis placet, Vicarii, & detestationem impiorum decretorum, quibus bona leges hinc inde sunt adulteratae. Neque Lutherus

Lutherus prohibet, qvò minus JCti etiamnum Dī Tutelares imperiorum & rerumpubl. (at citra superstitionem tamen atqve Idololatriam, omnem,) agnoscantur & nuncupentur. Ita enim Vir Heliano Spiritu excitatus in cohortatione ad Parentes de introducendis liberis in Scholis, & altera qvidem Sermonis parte: *Quis sustinet incolumentem Imperii? Equi & currus, manuumq; & armorum validitas hæc non faciunt, sed ex sola prudentia, quæ ex libris scriptarum legum comparatur, stat & cadit, ejus est consilium & aequitas, per ipsam reges regnant, & legum Conditores justè decernunt, per eam principes imperant, & potentes justitiam moderantur.* Et mox: *Hinc accidit, ut quemadmodum pii Theologis in regno Christi appellatio Angelorum, Prophetarum, Sacerdotum, ministrorum & Doctorum tribuitur: Ita pii Principes, Jure-Consulti, Cancellarii, Secretarii, Scribæ, Judices & Assessores, Advocati item & Notarii, qui vel ipsi gubernant Respublicas, vel aliis moderatoribus operam suam præstant, ut secundum leges scriptas gubernentur subditis, meritò & Doctores & Sacerdotes & Antistites justitiae & ministri, rerumq; publicarum Tutores & conservatores appellari possint.* Cujusmodi Tutorum cùm in hâc qvoque Philuræa per DEI gratiam numerus sit, haut exiguis, tùm inter illos cum maximè eluxit Vir Magnificus, Nobilissimus, Amplissimus, Consultissimusq; Dn. JOHANNES PHILIPPI, JCtus Consummatisimus, Comes Palatinus Cæsareus &c. ut non minùs qvàm Sanctus Jvo ille, Procuratorum Lucerna salutari jure possit. Fuit enim, si superstitionum illud vivendi genus eximas, Jvoni prudentiâ juris & eloquentiâ non dispar, id qvod tùm res ipsa clamitat, tùm ara perennivivæ memoriæ (nec enim alias aras demortuis nos ponimus) jamjam exstruenda uberiùs indicabit. Gente Silesius est, vel sic probitatem animi felicitatemq; ve indolis sat prodens. Est enim, ut cum Neandro loqvar ex Geograph. Part. I. nutrix fœcunda & benefica hominum, qvibus in utroq; sexu DEI beneficio, nec ad figuram ac decus corporis, nec ad bonitatem ingeniorum qvid de est, multisq; præterea seculis exculta disciplinâ honestiore, qvàm alii populi efferi & inhumani. Natus autem Lignitii est A. E. C. M. DC. VII. d. xix. Martii ex JOSIA PHILIPPI, Cive loci primario & prædio Waldaviensi, qvod ad Cameram Principalem spectat, ab actis Ecclesiasticis & Civilibus, & moratissimâ matre URSULA, ex vetusto, eoq; honestissimo CLOSSIORUM genere oriundâ; cumq; ingenii non vulgaris scintillas mature ostentâisset, à matre (nam parentem in ipsa annorum teneritate amiserat) non pietati tantùm, sed & bonarum artium studio de consilio DANIELIS HERTWIGII, Lignicensium Consulis amplissimi,

plissimi, qvi velut DEus ex machina pueri succurrebat, fuit dedicatus,
Scholæqve adeò Lignicensi immisso, in qua dexterimos formatores
nactus, BARTHOLOMÆUM KERNIUM, RECTOREM,
M. LEONHARDUM BAUDISIUM Con-R. & HENRI-
CUM BACHMANNUM, Collaboratorem, tam feliciter
in annum usqve tertium decimum profecit, ut magna iam tum
spes de futura studiorum mole non vanè conciperetur. Etenim cum
Ducis Lignicensis Consiliarius intimus & Pro-Princeps eminentissi-
mus, CHRISTOPHORUS à ZEDLITZ è Pædevterio jam
dicto binos optimarum mentium atqve ingeniorum adolescentes præ-
optaret, qvi cum Filio suo cognomine in literis imbibendis concertare
privatum possent, non aliū ex tam conferto discipulorum grege,
qvām hunc PHILIPPI, præter Nobilem alium in eodem ludo edo-
ctum, dignum aptumqve consortio Zedlitiano habuerunt Præcepto-
res. Condiscipulatu hoc Nobilissimorum adolescentum per triennium
usus, eos sub BARTHOLOMÆI KIRCHNERI moderamine
in linguis juxtā ac Philosophiâ progressus fecit, ut cum A. XXIII.
Gymnasium Elisabethanum, qvod Wratislaviæ floret, subiret, Clasi
Principi insertaretur mox, studiisqve Academicis à M. MICHAEL
POLLIONE & M. ELIA MAIORE non longo temporis spa-
tio præpararetur. Biennio enim needum finito Philuræam hanc pe-
tiit, cumqve in ipsa Juris adyta penetrare animum in duxisset, pe-
nitorem Philosophiæ cognitionem præstruxit, celebratis tūm L.
SCHNEIDERI, L. CORVINI & M. MULLERI Professori.
Publ. acroasisbus, tūm M. AVIANI potissimum, Facult. Philos. Af-
fessoris Collegiis Pansophicis; dein ad pedes Jctorum incomparabi-
lium SIGISMUNDI FINCKELTHUSII, WILHELMI
SCHMUCCII, JOHANNIS BOHEMI, BARTHOLO-
MÆI GÖLNITZII, DAVIDIS LINDNERI, aliorumqve
conside cœpit, eamqve sibi Juris prudentiæ ad annum usqve XXXI.
supel' etilem comparavit, ut suo remigo rem gerere, aliisqve viam
ad arcem Themidis ostendere non infeliciter potuerit. Vocatus eopse
anno in Patriam, ut suam illi solertiam dexteritatemqve commoda-
ret, mox à Celsissimo Principe Lignicensi Illustri Baroni à REICHEN-
BERG tūm minorenni præfectus, nec exili ab eo Salario, qvod non se-
mel gratus deprædicavit, clementissime fuit cumulatus. Qvā Epho-
riâ cum ex voto Principis perfungeretur, mirum, qvām avide etiam
alii Nobiles hunc filiis suis ducem elegerint, ut non immerito quis ver-
ibus Statii, qvibus Parentem suum lib. Sylv. V. c. III. dilaudat, com-
pellare PHILIPPI Nostrum potuisset:

Hinc



*Hinc tibi vota Patrum credi, generosaq; pubes
Te monitore regi, mores ac facta priorum
Dixerit &c.*

Nam duo & viginti admodum Generosi Juvenes ad annum usq;ve XXXV. commissi ipsi, tamq;ve præclarè ac laudabiliter ab eo fabrefacti, ut summis in Silesia muneribus admoveri non sine ingenti patriæ præsidio atq;ve ornamento qviverint. Ad Baronem ut redeamus, erat ille, sic Tutore Illustrissimo' disponente, in exoticas regiones non nisi hoc duce & comite dimittendus; sed PHILIPPI Noster non levidensibus causis permotus, submissè id curæ deprecatus, inspectiōnem Nobilissimorum Juvenum CAROLI SIGISMUNDI & WENČEŠLAJ à Štentsch/nec non Cognati eorundem GEORGII ABRAHAMI à Dyhren suscepit, cumq;ve illis Almae huic redditus, à Theoriâ Juridica, qvam vocant, ad Praxin movere pedem occœpit. Daducho potissimum usus QVIRINO SCHACHERO JCto celeberrimo, & Sereniss. Electori Saxoniæ ab Appellationum Consiliis &c. & qvandoq;vide Patriam suam non à Bellona tantum, sed & Papæ à Idolomania miserum in modum vastari, seqve adeò rebus & spebus suis destitui intelligeret, intra sinum Almae Nostræ commorari, imò consenescere apud anīnum suum constituit. Itaq;ve A. XXXVII. ad Parentem Generosissimum reductis, qvibus præfuerat ha&tenus, Nobilibus, ad Berythum Jenensem abiit, æstuq;ve tam tentaminis, qvām rigorosi examinis exantlato, habitāq;ve De Curatore Bonorum, solenni disputatione d. XXX. Novemb. supremum Jurisprudentiæ apice in, tanq;am præmium eruditioñis ac diligentiañ jam pridem meritum, et lit; Lipsiaq;ve mox repetitâ, maritali fœdere cum DEO devinxit sibi virginem id temporis formâ virtutibusq;ve florentissimam MARIAM, DAVIDIS BOCKII Civis ac Mercatoris filiam A. XXXIX. d. XXIX. Februar. qvam non amabilēm tantum concordemq;ve vitæ sociam, sed fœcundam quoq;ve sobolis procreaticem est expertus, factus qvippe ex eâ pater sex filiorum. CHRISTIANI, Marchionis Durlachio - Badensis Secretarii intimi, jamq;ve Viennæ in Aula Cæsarea ob maximi momenti negotia commorantis, JOHANNIS DAVIDIS, castra Gothorum bellica sestantis, JOSIÆ & FRIDERICI J. U. Cultorum, SIGISMUNDI item ac THEODORI, quoq;um ille in Illustri Porta, hic in Patria litteris operam navat, & filiarum binarum, MARIÆ DOROTHEÆ, sed in viridi ætatulu extinctæ, & JOHANNÆ MARIÆ, Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultis unoq; Dn. WILHELMO RO-

):(3

MANO



MANO, J. U. D. Curiæ Supremæ & Consistorii Advocato Ordinario
A. LXIIX. nuptæ, ex qua & neptes dulcissimas vidi JOHANNAM
PHILIPPINAM & CHRISTIANAM MARIAM, nec
non tres nepotulos ADOLPHUM WILHELMUM, & PHI-
LIPPUM LUDOVICUM, Geñellos mox extinctos, & CARO-
LUM LUDOVICUM. Sed ad publica deveniendum tandem, &
qvibus veluti gradibus ad honores alios ascenderit, jam strictim est
percensendum. Nam cum in foro aliquantisper se Rosciū ex hi-
buisset, ob insignem prudentiæ dexteritatisqve laudem exinde repor-
tam A. XLIV. Synedrii Ecclesiastici, & anno subseqvo Curiæ supre-
mæ Advocatus Ordinarius (qvo qvidē utroq; munere se paucis abhinc
annis abdicavit,) abs Serenissimo Saxonie Electore fuit constitutus. Sed
ne studiosæ Juventuti deesset, non pigratus est desideria illius qvà publi-
cis qvà privatis operis, qvas Disputationes non paucæ adhuc contestan-
tur, explere. Qvæ diligentia uti singularis erat, ita singulari qvoqve &
planè extraordinario præmio maestata est. Etenim cum nemo ad Col-
legiaturam adspirare in hac Alma queat, nisi Magister Noster, isqve
publico Disputationis præsidio, Nationa'ibus beneficiis veluti initiatu's,
PHILIPPUS Excellentissimus, qvantumvis Magistrorum Lipsien-
sium ordini non adscriptus, speciali tamen Serenissimi Electoris man-
dato munitus, post disputationem cum laude habitam Collegiatis an-
numeratus est, in Collegio putâ Beatæ Virginis Silesiacæ Nat'onis
proprio. Ad illud enim, ut hoc obiter inseramus, ædificandum
Johannes Otto Münsterbergius, primus Academiæ Rector, pecuniam
contulit eam, qvam Pragæ collegerat, ad condendum ibi Collegium
pro Silesiis; Sed cùm mors improvisa Münsterbergii intervenisset, po-
pularis ipsius Johannes Hoffmannus, postide à Misnæ Episcopus fa-
ctus, opus illud absolvit, & Collegium Marianum instituit, in quo Col-
legas qvinque Silesios, & si libeat, sextum è Prutenis adscendendum,
ordinavit. Huic Collegiaturæ, in qua Præpositi vices non semel obiit,
accessit & aliud beneficium non minus insolens, qvòd cùm extrâ hanc
Philuræ in Dibaphum Doctoralem obtinuissest, A. LXIIX. Facult.
Juridicæ Lipsiensi ob rara eruditioñis specimina insereretur. Præter-
qvam enim, qvòd A. XLI. mense Mayo de Carceribus ante & post me-
ridiem disputarat, per integrum semestre materiam de Subhastationi-
bus gravissimam publicè explanavit. Sed nec h̄c honorum publicorum
pausa erat, Cùm enim tanquam Procuratorum Lucerna undique
qve exsplendesceret, à Nobilissimo hujus Urbis Senatu & Sena-
toris & Consiliarii axiomate exornatus, & A. LIV, Curiæ Provincialis

in In-



in Inferiori Lusatia Assessoribus, Annoqve LVII. qvo ex Facultate Ju-
ridica exesse cœpit, Scabinis Lipsiensibus abs Electore Saxoniæ Po-
tentissimo est accensitus. De Comitiva qvid dicam, abs Cæsarea
Majestate A. LI. obtentâ? Quid de Magistratu Academico A. LII. in
humeros ejus unanimis Nationum suffragiis coniecto? Quid item de
Pro-Rectoratu, abs PHILIPPI Amplissimo, A. XLII. cùm Magnificen-
tissimus Academiæ Rector esset HENRICUS Ruthenorum Junio-
rum in Plauen Decimus, Dominus in Graiz, Kranichfeld, Gera, &
Lobenstein, in ipsa temporum bellicorum diritate felicissimè admini-
strato? Uberius hæc perseqvenda forent, nec aliis perseqvendis illis
aptus, nisi qvi ingenio atqve eloquentiâ par ipsi esse possit. Tametsi
verò PHILIPPI Magnificus negotiorum Æthnâ qvâdam premeretur,
tamen scriptis etiam publicis, iisqve cedro imputribili dignis prælucere
Procuratoribus & Advocatis voluit. Et qvotusqvisque Doctorum
ignorat ternionem librorum jamdudum in lucem emisorum, Usum
videlicet Practicum Institutionum, Tractatum de Subhastationibus, &
Observationes Practicas? qvibus propediē accedent Observationes pra-
cticæ in Processu Saxonico, qvippe sub prælo jam sudantes. Cæterum per
omnem vitam nihil prius antiquiusqve habuit PHILIPPI Magnificus,
qvam omni cultu ac veneratione Deum sibi qvotidiè propitiare, can-
doremqve proximo atq; animum justitiae tenacem approbare. Neqve
enim unquam delectatus est vaframentis atq; artibus hujus seculi, tan-
tum abest, ut fefellerit ipse met, vulpemqve astutam, ut ille ait, sub
vapido pectore servaverit. Sed cui non dictus Hylas? Ad vitæ Philip-
pinæ terminalia ut veniamus, jam annus propemodum est, ex quo ob
virium decrementa se laribus affigere domesticis necesse habuit. Qvæ
imbecillitas qvamvis pretiosissimis pharmacis oppugnata est, expu-
gnari tamen se passa non est. Ac nuper qvide in die videlicet Aprilis
XVIII. cùm ipso die CHRISTI emortuali viatico sacro se instruxisset.
in contumacissimum somnum dilapsus, orexin mox omnem evanuisse,
mortemqve adeò qvam proximè abesse intellexit. Apprehenso itaqve
Salvatoris sui Merito se DEO veluti in manus tradidit, & die XXI. A-
pril. placidissimo somno corruptus, hoc ve'uti molli vehiculo in vitam
alteram transivit. Et ita Procuratorum Lucerna illa extincta est, ex-
tinctus, inquam, Ivo Lipsiensis, & Justitiae Tutanus emendatissimus;
cumq; eō tot augustæ Virtutes, dotesqve summae, qvibus non Urbem
tantummodò hanc, sed orbem universum irradiavit. At lucet tamen
anima illius in cœlis vel splendidissimi Solis instar nec ullis unquam se-
culis in Lucis æternæ illius conspectu exstingetur. Nec obtenebrabitur
gloria



Zed 2784 OK

gloria Ejus in his terris , qvam & Consiliis saluberrimis , & scriptis utilissimis iamdudum sibi peperit . Qvotiescunqve enim scripta Magni PHILIPPI à J Ctorum filiis citabuntur (citabuntur autem s̄epissimè) toties ara veluti honoris qvædam illi exstruetur . Nos interim honoris illud genus , qvod manibus Philippicis debitum videri potest , ne differamus , Cives Ordinum ac Dignitatum honoratissimi , cumqve Gravis ille & honoribus & Reipublicæ muneribus perfunctus Senex (his enim ferè verbis Cicero describit JCtum de Jure interrogati solitum , lib. I. de Oratore) horâ III. sit efferendus , ad exeqviarum Officium frequenter & copiosè confluamus , & vel sic , qvanti vivum æstimaverimus , & nunc (ò funestum & illætabile verbum ,) extinctum doleamus , contemnemus ! P.P. Lipsiæ d. XXVII. April. A. E. C. M. DC. LXXIV.



Von

mit

Act. 26 4/39

R
ACADE


Magnifica autorit
dendi de J

DN.
P.

Com. Palatini
Curiæ Provinciali
tæ Virginis Coll
Seniori

VIRI

CIVES A



© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Color Control Patches

